

# **Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

**Meditationum evangelicarum pars secunda, hoc est:  
Solida, ad discendam & exercendam, ex evangeliis tam  
dominicalibus quam festivalibus Christi & sui-ipsius  
notitiam, informatio**

**Creide, Hartmann**

**Francofurti ad Moenum, 1682**

In festo annunciationis Mariae

[urn:nbn:de:bsz:31-126164](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-126164)

## In Feflo Annunciationis Mariæ.

Evangelium Luc, I, v. 26. --- 38.

## EXORDIUM.

**C**um iufiffimum Numen primum mundum, diluvii pœnâ inundatum efferet, rupti funt omnes fontes abyffi magnæ, & cataraftæ cœli apertæ funt; *Et facta eſt pluvia ſuper terram, quadraginta diebus & quadraginta noctibus.* Hæc fuit *pluvia iræ*, quâ delevit Deus omnem ſubſtantiam, quæ erat ſuper terram, ab homine, uſque ad pecus, tam reptile, quàm volucres cœli, quæ omnia deleta funt de terrâ, Gen. 7. v. 11. ſeqq.

Quemadmodum Deus non ſemper iratus eſt, ſed & gratiam ſuam reducit diligentibus ſe, quippe quo ſine iridem in nubibus poſuit, tanquam ſignum fœderis, quod cum Noah ejuſq; poſteris ſtatuit, quod non ultra aquas Diluvii ad delendam univerſam aquam mittere velit, Gen. 9. 8. ſeqq. Ita *ſuaviſſima gratia pluvia* ſequuta eſt, in ſalutiſera conceptione & incarnatione filii ejuſ, qui in plenitudinæ temporis deſcendit, ſicut pluvia in vellus: & ſicut guttæ irrigant terram, Pſal. 72. v. 6. hoc ipſo peccatum obſignatum, iniquitas expiata, & ſempiterna juſtitia adducta eſt, Dan. 9. v. 24.

Ibi *fontes abyſſi magnæ* rupti funt. Id hic quoque factum eſt. Quod enim Deus filium ſuum hominem factum voluit, id tanta *gratia & miſericordia divina abyſſus* eſt, in quam & angeli deſiderant proſpicere, 1. Petr. 1. v. 22. Unde merito exclamamus: O profunditatem divitiarum! Rom. 11. 33.

Ibi *aperuit Dominus theſaurum ſuum*, & protulit vaſa iræ ſuæ, Jer. 50. 25. Hic *gratia theſaurum* aperit, ut guſtemus bonitatem ejuſ, Pſ. 34. v. 9. Commendat enim caritatē ſuam Deus erga nos, Rom. 5. v. 8. 9.

Ibi *cataraſta cœli* apertæ funt; & facta eſt pluvia ſuper terram, quadraginta diebus & quadraginta noctibus; Hic *ſimile quid accidit*. Sancti Patriarchæ diu ſuſpirarunt: *Rorate cœli deſuper*, & nubes pluant juſtitiam, Eſa. 45. v. 8. Et iterum: *Utinam cœlum diſrumperet!* Eſ. 64. 1. Id hodie impletum eſt, ubi æternus Dei filius de cœlo deſcendit, & in caſto ſanctiſſimæ Mariæ Virginis utero, humanam carnem & ſanguinem aſſumſit, hæc *gratia pluvia* eſt, & *imber benignus*, quem effudit Deus ſuper hæreditatem ſuam, & quod languet, confirmavit, Pſal. 68. v. 10.

Cum Gideon vellus ſuum in arcâ poneret, primò ros in ſolo vellere fuit, & in omni terrâ ſiccitas. Cumq; iterum vellus exponeret, ſiccitas fuit in ſolo vellere, & ros in omni terrâ, Jud. 6. v. 37.

Ita Deus Pater cœleſtis ſolam Virginem Mariam, præ omnibus aliis mulieribus in id elegit, ut matercula filii ſui foret. Tu enim, ait Angelus, benediſta es in mulieribus, Dominus tecum: Ecce, concipies in utero, & paries filium, & vocabis nomen ejuſ Jeſum. Verum beneficia, quæ Chriſtus per conceptionem ſuam ſanctiſſimam

simam nobis peperit, universalia sunt, ut omnes homines iis per fidem potiri possint. Est enim Servator omnium hominum, maximè verò fidelium, 1. Tim. 4. 10.

Nos absque longiori præloquio ad ipsum Evangelium nos accingemus, meditaturi ex eodem :

I. Ἀγγελωλογίαν sive notitiam nostri.

II. Χριστολογίαν, sive notitiam Christi.

J. J.

### Exegesis.

Quemadmodum malus Angelus ad Evam in paradysum venit, eique attulit *verbum mortis*, quo illa & omnes ejus posteræ, temporali & æternæ morti immerfi sunt, Gen. 3. v. 1. Ita hodie bonum Angelum, sanctam Mariam virginem accessisse, eique *verbum vitæ* attulisse, audimus, quo lapsus genus humanum restitutum, & vita, & incorruptio illuminavit, 2. Tim. 1. 10. In mense enim sexto missus est angelus Gabriel à Deo in civitatem Galileæ, cui nomen Nazareth, &c.

Ἀγγελωλογίαν sive notitiam nostri hinc discere possumus, quando intuemur :

I. *Angelicam salutationem.* Angelus enim ad B. Virginem ingressus, salutavit eam dicens: χαίρε κεχαρισμένη, ave Gratiosa, Dominus tecum. Hoc non active intelligendum est, ut Pontificii exponunt, quasi Maria gratiâ redundaret, ut etiam aliis hinc largiri possit: sed *passivè*, & idem est, ac, *gratiam indepta, gratificata*, sicut ipse angelus deinceps exponit, ajens: Invenisti gratiam apud Deum. Maria enim non expiavit nos apud Deum, nec ejus gratiam peperit: sed hoc solius Christi opus est, qui propterea describitur, quod

fit plenus gratia & veritate, de cujus plenitudine oporteat nos accipere gratiam pro gratiâ, Joh. 1. v. 16. Aliàs naturâ filii iræ sumus, Eph. 2. v. 3. nec regnum Dei hereditare possumus, Joh. 3. v. 5.

Hic probes velim te, utrum *Angelicam salutationem rectè observaveris, aut cum Pontificiis eadem abusus, aut absum Pontificium, pro tanto peccato reputaveris, quantum revera est?*

Inter nos Lutheranos, non facilè occurrent, qui *Angelicam salutationem* precatationem esse censeant; sed non dubito, quin sint, qui parum referre putant, si juxta *Orationem Dominicam & AVE MARIA* precentur. Verùm hoc ipso homines à Christo ad B. Mariam ablegantur, quasi nos redemerit, & gratiam Dei restituerit, sicuti Monachi, quò simplicioribus eò facilius imponerent, Apostolos ipsos ita orasse, confinxerunt.

Pontifex Johannes XXII. hujus nominis, circa A. C. 1325. ordinavit ut manè & vesperè ter campana pulsarentur, & ad unumquemque pulsus tria Ave Maria dicerentur, iisque, qui id studiosè observarent, pro quolibet die viginti dierum indulgentias promisit. Pertinent huc *Marialia, Rosaria, Psalterium Mariæ, & alia plura superstitiosa*, quibus Mariam cultu planè idololatriæ venerantur.

Verùm, ut verbo quod res est, dicamus: *Fœdus abusus est.* E salutatione namque precatationem conficere satagunt, idque nimis absurdè. *Oratio locutio est ad Deum*, ait Augustinus, quâ nimirum aliquid à Deo petimus, vel ei gratias agimus. Neutrū *Angelicæ huic salutationi applicari potest, aliàs sequeretur, quod Angelus ipse Mariam adorasset, quod absonum est.*

Præ-

Præterea neminem, nisi unum & solum Deum adorandum esse novimus. Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli servies, Deuter. 6. v. 13. Matth. 4. v. 10. Unde & Christus discipulos non ave Maria, sed Pater noster, qui es in caelis, orare iussit. B. Maria enim, neque omnipotens, neque omniscia, neque omnipræfens est, nec melius novit nos, quam Abraham Judæos; Esa. 64. v. 16. In veteri Ecclesia doctrina hæc planè incognita fuit. Epiphanius, qui circa Annum Christi 370. vixit, expressè ita scribit: *Sit in honore Maria; Pater, Filius, & Spiritus sanctus adoretur, Mariam nemo adoret.* Hoc scripturæ consentaneum est. Unus enim est Deus, unus etiam mediator Dei & hominum, 1. Tim. 1. v. 5. Ad eam ergo cum fiducia ad thronum gratiæ ejus, Hebr. 4. v. ult. Qui verò alium insequuntur, multiplicant molestos labores suos, Psal. 16. v. 4.

Hoc verò ab Angelo discere debemus, ut & ipsi invicem officiosi salutationibus simus, proximo nostro salutem, pacem & benedictionem divinam apprecantes: hoc enim fructu suo non caret. Desiderium enim justorum profectò bonum est, Prov. 11. v. 23. ejusmodi benignitas est fructus, Gal. 5. v. 22. Ubi verò deest, spiritus quoque sanctus non habitat, Rom. 8. v. 14.

II. *Christi incarnationem.* Ideo enim Deus Angelum Gabriel, mittit ad B. Virginem, ut eidem annunciet, quod spiritus sanctus superventurus sit in eam, & virtus Altissimi obumbratura eam, quò concipere in utero, & sanctissimum parere possit. Hoc magnum pietatis mysterium est, rationi nostræ minus obvium, 1. Tim. 3. v. ult. Hinc Chrysostomus: *Claude oculos*

*rationis, & noli intelligere, ut credas, sed crede ut intelligas* Angelus explicat & per superventionem, & per obumbrationem; ubi notandum, quod Christus de visibili Spiritus sancti effusione loquens, ad eundem ferè modum loquatur, dicens: Accipietis virtutem supervenientis Spiritus sancti in vos, Actor. 1. v. 8. Sic de nube dicitur, quod operuerit tabernaculum testimonii, ubi Septuaginta Interpretes eodem hoc vocabulo utuntur, quo Angelus hîc utitur, Exod. 40. v. 34. Fortassis ita intelligendum est, ut de Spiritu Domini dicitur, quod in principio Creationis, aquis incubuerit, easque fecundaverit, ut pisces & volucres illæ proferrent, Genes. 1. v. 2. Sed est & manet mysterium, cujus scientia mirabilior & sublimior est, quam ut valeamus eam comprehendere, Psal. 139. vers. 14.

*Hic perquires velim te, mi Christiane! utrum stupendum hoc gratiæ divina opus animo studiosè meditatus fueris, & Deo tuo gratias debitas egeris?*

Olim in Ecclesiâ singulis Dominicis, Symbolum Nicenum cantatum est, & ubi ad illa verba pervenerunt: *Et homo factus est*, quilibet in genua procidit. Hic mos laudabilis meritò adhuc hodie observari deberet, ut B. Lutherus censet.

Deus adeò appropinquavit nobis, ut carnem & sanguinem nostrum induerit, id de nulla creatura dici potest, ne angelis quidem, Hebr. 2. v. 16.

Non est alia natio tam grandis, quæ habeat ita Deos appropinquantes sibi, sicut Dominus Deus noster adest, cunctis obsecrationibus nostris, ait Moses, Deut. 4. 7. Id nos Christiani potiori jure prædicare possumus;

mus: Verbum enim caro factum est, & habitavit in nobis. Joh. 1, 14.

Sol, & Luna non æquæ nobis appropinquant, ac Deus appropinquavit nobis, dum carnem & sanguinem nostram induit: hoc ipso enim conceptio nostra peccaminosa purificata est, ut salutem nostram non obsit, quamvis in peccatis concipiamur & nascamur, nulla enim condemnatio in eis est, qui in Christo Jesu sunt, Rom. 8, v. 1.

Habemus igitur ejusmodi Goelem, qui frater & consanguineus noster factus est, & cum Bernhardo dicere possumus: *Quomodo me deseret, qui est caro de carne mea.* Et cum Jobo: Scio, quod redemptor meus vivit, Job. 19, v. 25, 27.

Sicut enim Elifæus Sunamitidis filium defunctum resuscitaturus, incubuit super puerum, posuitque os suum super os ejus, & oculos suos super oculos ejus, & manus suas super manus ejus: & expandit se super eum, & calefacta est caro pueri, 2. Reg. 2, 3, 4. Ita multo magis æternus Dei filius, postquam humanam carnem & sanguinem assumpsit, vi assumptorum membrorum manuum, oculorum, oris &c. omnes pios Christianos, & corporis & animæ, vere novissimi diei ingruente, in vitam revocabit, & reducet, non in corporibus ejusmodi, infirmitati & morbis obnoxiiis: sed in clarificatione, ut luceant sicut Sol in regno patris, Match. 13, v. 43. Hinc Eccl. fia:

Hæc vestra gloriatio,  
Quod copulati cum Deo,  
In carne vestra apparuit,  
Æternitas quem protulit.  
Peccata, mors quid inferet?  
Verus Deus vobis favet,

Ringat Satan cum tartaro,  
Immanuel factus caro.  
Vos nequit ille linquere,  
Ei modo confidite,  
Vos multa cingent agmina  
Vobis erunt haud noxia.  
Trophæa tandem pangite,  
Genus Dei persistite,  
Hinc gestientes gaudio,  
Cantate gratias Deo.

Des solt ihr billich frölich seyn /  
Daf Gott mit euch ist worden ein /  
Crist geborn eur Fleisch und Blut /  
Eur Bruder ist das ewig Gut.  
Was kan euch thun die Sünd und Tod /  
Ihr habt mit euch den wahren Gott:  
Ist zörnen Teufel und die Höll /  
Gotts Sohn ist worden eur Gesell.  
Er will und kan euch lassen nicht /  
Seht nur auf ihn eur Zuversicht /  
Es mögen euch viel sechten an /  
Droß sey dem / ders nicht lassen kan.  
Zu lezt müßt ihr doch haben recht /  
Ihr seyd nun worden Gotts Geschlecht /  
Des dancket Gott in Ewigkeit /  
Gedultig frölich / allezeit.

III. *Mariæ accommodationem.* Ecce, ait ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum. Principio ipsi mirabile videbatur, cum Angelus diceret, quod conceptura sit in utero, erat enim virgo, propterea interrogat: Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco. Non autem querit dubitando sicut Nicodemus ait: Quomodo homopotest renasci, cum sit senex? Joh. 3, 9. Multo minus angelum interrogat illudendo, ut Sara, cum ipsi filius promitteretur, Gen. 18, 12.

Qqqq. ite Sed

Sed melius sibi rem explicari volebat, hinc Ambrosius: *Non de facto dubitavit, sed de modo quaesivit.* Ideoque auditâ explicatione angeli, promptè voluntati divinæ se subjicit. Ipse enim ad omnipotentiam Dei eam revocat, dicens: Non est impossibile apud Deum, ullum verbum, q. d. Ille promisit, quod Messias de virgine nascendus sit, Ef. 7. v. 18. id & opere ipso explebit, quamvis coram oculis hominum impossibile videatur, habet enim manum nunquam abbreviatam, Esa. 50. v. 2. & potest omnia facere superabundanter, quàm petimus aut intelligimus, Eph. 3. v. ult.

Hæc concio adeo arridet Mariæ, ut voluntati Dei se subjiciens dicat: Ecce ancilla Domini, *quod non assequor, veneror, ut Augustinus explicat.*

*Hic proba te, mi Christiane! utrum & ipse ad exemplum Mariæ, voluntati Dei te semper prompto obsequio subjeceris?*

Hoc fieri à nobis debet:

1. *In fidei articulis*, ut ne curiosè ritemur, si clarum Dei verbum habeamus, sed in captivitate redigamus omnem intellectum, in obsequium Christi, 2. Cor. 10. v. 5. dicentes cum Ezechiel: Tu nosti modum Domini, Ezech. 37. v. 3. *Maneamus*, inquit Lutherus, *Discipuli, ut relinquamus Magisterium Spiritus sancto.* Quod jam non capimus, sciemus postea, Joh. 13. v. 7. nempe in vita æterna, ubi omnes à Deo docebitur, Esa. 54. v. 13. & revelatâ facie gloriam Domini, tanquam in speculo recipiemus, 2. Cor. 3. v. 18. Interea simpliciter credere est optimè credere, Joh. 10. v. 29.

2. *In vita periculis.* Bona enim & mala, vita & mors, paupertas & divitiæ à Deo sunt, Syr. 11. v. 14. Ideò calamitatibus quoq; pressi, cum Mariæ dicamus: Fiat mihi se-

cundum verbum tuum. Non enim ad interitum, sed ad vitæ emendationem castigat nos Deus. Dum judicamur, à Domino corripimur, 1. Cor. 11. v. 32. Ideò communicantes Christi passionibus gaudeamus, 1. Petr. 4. v. 13. dicentes cum Jobo: Si bona suscepimus &c. Job. 2. v. 10. Quinimò si hora mortis ingruit, ut mundum relinquere, & carissimis quibusq; valedicere cogamur: itidem dicere debemus: Fiat mihi secundum verbum tuum.

Membrum tuo sum corpore,

Sustentor hoc honore,

Nos non valet se jungere,

Horrenda mors dolore:

Si mors rapit, rapit tibi,

Est vita parta nam mihi,

Perpe tuo cruore.

Tu morte suscitatus es,

Nec hæc ego tenebor:

Tuus salus adscensus est

Morti per hanc medebor:

Ubi manens huc ivero,

Semperq; tecum vixero,

Hæc lætus exiebor.

Ich bin ein Glied an deinem Leib/  
Deß tröst ich mich von Herzen/  
Von dir ich ungescheiden bleib/  
In Todes-Roth und Schmerzen:

Wenn ich gleich sterb so sterb ich dir/  
Ein ewigs Leben hastu mir  
Mit deinem Tod erworben.

Weil tu vom Tod erstanden bist/  
Werd ich im Grab nicht bleiben/  
Mein höchster Trost dein Auferth ist/  
Todsurcht kanstu vertreiben:

Dann wo du bist da kom ich hin/  
Daß ich stets bey dir leb und bin/  
Drum fahr ich hin mit Freuden.

De Secundo.

**T**Ransibimus nunc ad alteram partem, *ἡμεῖς ὡς ἰσχυρὰ*, sive notitiam Christi contemplaturi. Hic nobis meditandus proponitur:

**I. Tanquam Altissimi Filius.** Concipies enim, ait Angelus in utero, & paries filium, & vocabis nomen ejus Jesum: Hic erit magnus, & filius Altissimi vocabitur. Habemus proinde ejusmodi Servatorem, qui *θεὸς ὁμοῦς ἐστὶν* est, in unâ personâ. Filius Altissimi juxta divinam, Filius Mariæ autem juxta humanam naturam.

Hoc opus immensa Dei sapientia est, juxta quam hanc redemptionem invenit, Heb. 9. v. 12. *Immortale patris verbum, corpus sibi aptavit, ut & redimere & mori posset*, ait Athanasius. Hoc Paulus ita explicat: Quia pueri communicaverunt carni & sanguini, &c. Heb. 2. v. 14. 15.

Tota igitur SS. Trinitas hîc concurrat. *Deus pater* mittit filium suum, *filius* fit homo, & *Spiritus sanctus* per obumbrationem suam conceptionem operatur, & utramque naturam in Christo vinculo indissolubili copulat, ut verè dicere possimus: Filius Mariæ est filius Altissimi, & vice versa: Filius Altissimi est filius Mariæ, & tamen non duo sunt filii, sed unus est filius. Hinc rectè Prisci dixerunt:

*Sic homo, sic Deus es, ut non sis unus & alter.*

Hoc quodammodo explicari potest *simili à ferro candente delumto*. Aliares est ferrum, alia ignis. Quando verò ferrum igni inditur, totum ignitum fit, & participat eandem cum igne qualitatem, ut splendeat & urat: Ita in Christo duæ sunt naturæ, divina

& humana, hæ non commiscentur, & tamen caro, à communicata sibi Divinitate infinitam virtutem, Majestatem & gloriam accipit. Hoc inde est, quia tota plenitudo Divinitatis in Christo corporaliter habitat, Col. 2. vers. 9.

Pari modo *homo constat ex corpore & anima*, illa non confunditur, sed ita unita sunt, ut constituant hominem. Ita & divina & humana natura unum Christum constituunt, & tamen diversæ sunt naturæ, hoc tamen respectu, quod divina humanæ idiomata sua communicat, & contra humana natura, infirmitates suas, passionem & mortem divinæ appropriat, quasi ipsa his prædita esset, idque vi unionis personalis. Propterea Judæos non nudum hominem, sed Dominum gloriæ crucifixisse dicitur, 1. Cor. 2. v. 8. & Ducem vitæ occidisse, Act. 3. v. 14.

Hinc efficax solatium nobis manet. Quia enim ejusmodi Dominus, mortem pro nobis sustinuit, qui simul Filius est Altissimi, non dubitandum est, quod pro nobis sufficiens sit, quod pro nobis exolvit. Fides proinde in vita & morte esse debet: Sanguis Jesu Christi, Filii Dei, emundat nos ab omni peccato, 1. Joh. 1. v. 8.

**II. Tanquam æternus Rex & Dominus.** Dabit enim illi Dominus Deus, sedem David, patris ejus: & regnabit super domum Jacob in æternū: & regni ejus non erit finis.

Hoc nec de Salomone, nec de alio quodam Judæorum Rege intelligi potest. Illorum enim nemo regnum æternum habuit, omnes occubuerunt, sceptrum de Juda ablatum est, Gen. 49. 10. Hic verò de ejusmodi hærede Davidis sermo est, cujus regni non erit finis. Hic nemo alius est, quàm filius Altissimi, ut in præcedentibus appellatur, qui in plenitudine temporis, è stirpe Davidis

Natus, firmavit orbem terræ, ut dominetur à mari usque ad mare; & à flumine, usque ad fines orbis terrarum, Psal. 72, 8. idque in medio inimicorum suorum, Psal. 110, 2.

Danieli in visione ostensa sunt quatuor mundi imperia, quæ in terris futura erant. Verum ubi hodie illa reperies? Omnia successive transferunt, & licet Romanum Imperium adhuc duret, tamen infirmis pedibus nititur, qui ex parte ferrei, ex parte fictiles sunt, hinc facile colligere est, invictissimum Imperatorem Christum, cum adventu suo brevi irrupturum, & huic, uti omnibus aliis regnis finem impositurum esse, Dan. 2, 41. 49.

Verum regnum Christi, & regnum æternum, quod quidem in his terris, sine pompa virga directionis verbi in Ecclesia gratiosè regit, Psal. 45, 7. Sed quando finis adveniet, tradet hoc regnum Deo & patri, 1. Cor. 15. & alio modo regnabit in vita æterna, sceptro nimirum infinitæ potestatis & gloriæ, ubi omnes lætum illud *intra* in tonabimus: Nunc facta est salus, & virtus, & regnum Dei nostri, & potestas Christi ejus, Apoc. 12. v. 10, 11.

Hoc nostrum solatium est, quando tribulationibus affligimur. Christus rex est æternus: si nos subditus ejus, uti que nos aliquando ad æternitatem ille provecturus est, itenim: iterum venio, & accipiam vos ad me ipsum, ut ubi sum ego, & vos sitis, Joh. 14. v. 3. Ibi non amplius audietur vox fletus & vox clamoris, Esa. 65. v. 19. Sed lætitia sempiterna super caput nostrum, Es. 35. v. ult. & hoc gaudium nemo tollet à nobis, Joh. 16. v. 21.

III. *Tanquam Sanctus Sanctorum Sanctissimus.* Sic enim ait Angelus: Spiritus sanctus superveniet in te: & virtus Altissimi

obumbrabit tibi. Ideoque quod nascetur ex te sanctum, vocabitur filius Dei.

Quod si Christus communi modo per copulam conjugalem uxoris & mariti nasci debuisset, ut alii homines, sanctus nasci non potuisset, quicquid enim ex carne natum est, caro est, Joh. 3, 6. Sed Spiritus Sanctus, sanguinem, quantum ad conceptionem hanc sanctissimam opus fuit, in utero virginali separavit, & sanctificavit, ut ita propagatio peccati impediri, & Messias sanctus, innocens, impollutus & segregatus à peccatoribus concipi & nasci potuerit. Heb. 7. v. 26. Ideoque hic singulare quid factum est, de quo Jeremias: Creavit Dominus novum super terram: Ecce mina circumdabit virum, Jer. 31. v. 22.

Inserviat hoc nobis:

I. *Ad consolationem.* Nos nullam sanctitatem nobiscum in mundum inferimus, nisi quod accessum habeamus ad gratiam Dei, quia à Christianis parentibus prognati sumus, unde Paulus ejusmodi liberos sanctos nominat, 1. Cor. 7. 14. Alias omnes querelam hanc ingeminare tenemur; quod in iniquitatibus concepti simus, Ps. 51, 7. sed quod nobis hac in parte deest, Christus per immaculatam suam conceptionem restituit, hinc Lutherus, & nos cum ipso: *Licet in peccatis conceptus & natus sim, unum tamen scio, qui sine peccato conceptus, homo factus est, non propter se sed propter me.* Quare igitur tristis es anima mea? & quare conturbas me? Christus frater meus, etiam in sanctissima conceptione sua, nihil factus est sanctificatio, & redemptio, 1. Cor. 15, 10.

Hoc fulcrum nostrum sit, & sustentaculum, juxta illud Pauli: Abluti estis, sanctificati estis justificati estis, in nomine Domini Jesu, 1. Cor. 6. v. 11.

2. Ad



2. *Ad imitationem.* Sancti estote, quia ego Deus sanctus sum, ait Dominus, Lev. 11. v. 44. Confer 1. Pet. 1. v. 15. 6.

Atqui *Christus Servator noster sanctus est*

1. *Sine fuce*, non modo *subjective*: hoc enim modo omnibus hostibus suis insultare & dicere potest: Quis vestrū arguet me de peccato? Joh. 8. 46. sed & *effective*, ita, ut a patre suo nobis factus sit sanctificatio, 1. Cor. 1. v. 30. Hanc perfecte imitari non possumus. Interea tamen operam demus, ut ab omni hypocrisis immunes simus, neque enim cum hominibus nobis res intercedit, sed cum Deo, qui corda & renes scrutatur, Jer. 17, 10. nec decipi potest, Job. 13. v. 9.

2. *Sine dubio.* Neque enim ex se sanctus est, ratione essentiali: sed & opera ejus sancta sunt, & omnes viæ ejus judicia, Deut. 32. v. 4. Sanctum est verbum ejus, sanctum nomen, & sanctum officium ejus, ideoque & sanctissimus dicitur, Dan. 9. v. 24.

Ita non modo verbis sanctimoniam jactemus: sed & lux nostra coram hominibus lucere debet, ut videant opera nostra bona, & glorificent patrem nostrum, qui in cælis est Matth. 5. v. 16.

*Philippus Rex Macedonia* quotidie per famulum sibi acclamari voluit: *Philippe, memento, te esse hominem*: Hoc bene factum erat. Sumus enim vasa infirma. 2. Cor. 4. v. 7. & nescimus, an post modicum tollat nos factor noster, Joh. 32. v. 22. Ideo non abs re est, ut mortalitatis nostra memores cū Davide oremus: Notum fac mihi Domine finem meum Psal. 39. v. 5.

Sed & non minus laudabile foret, si quilibet Christianorum quotidie sibi in memoriam vocaret: *Memento te esse Christianum*, Ergo Christiano dignum te gere. Non:

omnis enim, qui dicit, Domine, Domine intrabit in regnum cælorum, Matth. 7. v. 21.

3. *Sine termino.* Quemadmodum enim est æternus Rex; & anni ejus non deficient, Psal. 102. v. 28. Ita etiam non desinit esse sanctus, neque cessat fideles suos sanctificare per verbum & sacramenta: donec tandem in vita æterna eos sibi exhibebit sanctos & irreprehensibiles in conspectu suo, Eph. 5. v. 27.

Hoc ab ipso discere debemus, ut *perficiamus sanctificationem* in timore Dei, 2. Cor. 7. v. 1. tam *ratione nostri*, in cælestem enim Hierosolymam non intrabit aliquid imundum, Apoc. 21. v. 27. quam *ratione proximi*, ne forte illi demus offensionem ullam, 2. Cor. 6. v. 3. sed conversationem sanctam habeamus, 1. Pet. 2. v. 12. lucentes, sicut luminaria in mundo, in medio nationis prævæ atque perversæ, Phil. 2. v. 15.

*Inter omnes virtutes, sola perseverantia coronatur*, ait Bernhardus. Licet igitur quispian per omnem vitam suam probitati studuerit, & in fine deficit, nihil id ipsum juvabit, in quocunque enim loco ceciderit lignum, ibi erit Eccles. 11. v. 3.

Hoc tibi dictum putes, quotidie cum Ecclesia suspirans:

Fac me metus non abstrahat, *Nec timor, nec*

Vefana nec voluptas:

Eides nec unquam desinat, *A te me separa,*

Soli tibi potestas.

Laf mich kein Lust noch Furcht von dir!

In dieser Welt abwenden!

Beständig seyn ans End! gib mir!

Du hast allein in Händen.

It. Te Christe, honoro gratiis,

Me sic quod informaveris,

Per sanctius verbum:

Q99 3

Lar-

*latitia  
A te me separa,  
ut stans sim ad fi-  
nem, da  
quod mang tua  
bit.*

497 *In die Parasceves, de passione Domini nostri Iesu Christi.*  
Largire mi constantiam,  
Ut ne salute hac excidam.  
Berleih mir auch Beständigkeit/  
Zu meiner Seelen Seligkeit.  
Ich danck dir Christ O Gottes Sohn/  
Dass du mich solchs hast erkennen lahn/  
Durch dein göttliches Wort:  
Amen, in nomine Jesu,  
Amen

## In die Parasceves, de passione Domini nostri Iesu Christi.

*Textus ex 2. Sam. 3. v. 38. Numignoratis, quod jam Princeps  
& maximus cecidit hodie in Israel.*  
EXORDIUM.

**C**Um pietate & patientia inclytus ille Jobus, permissu Dei à fathana, non modo ædibus, liberis atque pecoribus privatus esset: sed & ulcere pessimo à planta pedis usque ad verticem percussus, in medio pulvere sederet, & tecta se raderet: Tres ejus amici venerunt, ut visirarent & consolarentur eum: Verum illi non cognoverunt eum, & exclamantes ploraverunt, scissisque vestibus, sparserunt pulverem super caput suum, in cœlum. Et sederunt cum eo in terra septem diebus, & septem noctibus: & nemo loquebatur ei verbum: videbant enim dolorem esse vehementem, Job. 2. v. 11. & seqq.

Hoc scopo nostro applicabimus.

*Jobus fuit Rex in Edom, alias Jobab vocatus, cujus mentio fit, Gen. 36. v. 33. & quia erat simplex & rectus, ac Deum timens, & recedens à malo: Deus copiosa benedictione eum affecerat. Nati enim ei sunt filii septem, & tres filia. Et fuit possessio ejus, septem millia ovium, & tria millia camelorum, quingenta quoque juga boum, & quingentæ asinæ & familia multa nimis. Imo ma-*

gnus erat inter omnes orientales, Job. 1. v. 2. 3.

Ita Christus Servator noster, est Rex super Sion, Psal. 2. v. 6. sanctissimus, Dan 9. v. 2. 4. qui peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus, 1. Pet. 2. v. 2. 2. ideo affatim pater ejus cœlestis ei benedixerat, gloria & honore coronavit eum, Psal 8, 2. gentes illi hæreditatem suam, & possessionem terminos terræ dedit, Psal. 2. v. 8.

Quemadmodum vero *felicitas Jobi subito immutata est*, ut amicie ejus, qui eum in pristina dignitate florentem viderant, non cognoverint eundem esse, cum caro ejus scateret vermicibus, & sordibus pulveris, Job. 7. v. 5. Ita & Servator noster optimus, in passione sua, miserandum in modum deformatus fuit, ut vermem se, non hominem esse, conqueratur, Psal. 22. v. 8. Esa. 53. v. 2. 3.

O humillimam exinanitionem! O indignissimum contentum! Is, qui est Dominus gloriæ, 1. Cor. 2. v. 8. unigenitus filius, qui est in sinu patris. plenus gratia & veritate, Joh. 1. v. 14. jam *in loco Calvaria offenditur*, inter ossa mortuorum, & crania male-